

CVI.

Quod vero nos præstitimus in tribus œcumenicis Conciliis, nempe decretum fidei in ipsis editum intexere Annalibus; ut ejusdem quoque Concilii Chalcedonenſis fidei definitionem recensere minime prætermittamus, par ratio persuadet: quæ ex Græcis fontibus in Latinum alveum derivata istis verbis habetur.

Definitio Concilii Chalcedonenſis.

Dominus noster & Salvator Jesus Christus notitiam fidei discipulis suis firmans dixit (a): Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis; ut nullus dissonet a proximo circa dogmata pietatis, sed ex æquo veritatis ostendatur prædicatio. Quia vero non desinit per zizania sua, diabolus (b) contra semina pietatis insurgere, & semper aliquid novum contra veritatem invenire: propter hoc Dominus (ut consuevit) providens humano generi, piissimum & fidelissimum ad emulationem crexit Imperatorem, & undique sacerdotum Præsides ad se convocavit, ut gratia Domini omnium nostrum Christi operante, omnem quidem mendaciam Christianis omnibus pestilentiam removeret, floribus autem veritatis eos pinguescere faceret. Quod & perficimus, communi judicio dogmata expellentes erroris: & inenarrabilem Patrum renovavimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes: & eos ut proprios Patres etiam ad-

(a) Joan.  
14.  
Fidei definitio.

(b) Matt.  
13.

scribimus, qui postea in magna Constantinopoli congregati sunt centum quinquaginta, & eandem fidem ipsi quoque confirmaverunt.

Definimus igitur, ordinem & omnes formulas custodientes quæ de fide sunt constitutæ, & nos ejus Synodi quæ quondam in Epheso facta, cujus præses fuerunt beatissima memoria Celestinus Romanorum & Cyrillus Alexandrinorum Antistes; Præfulgere quidem recte & immaculatæ fidei expositionem sanctorum trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa temporibus pia memoria Constantini Imperatoris congregati sunt: Servari autem & ea quæ apud Constantinopolim a sanctissimis centum quinquaginta Patribus decreta sunt ad expellendas quidem omnes germinantes hæreses; & ad confirmationem ejusdem Catholice & Apostolicæ nostræ fidei Symbolum Nicæanum trecentorum decem & octo Patrum: Credimus in unum Deum &c: idem centum quinquaginta sanctorum Patrum qui Constantinopoli congregati sunt: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, &c. Usque ad finem utrumque: quibus mox hæc subducuntur, quæ in hoc Concilio definita noscuntur.

Sufficeret quidem ad plenam cognitionem pietatis & confirmationis hoc sapiens & salutare divine gratia Symbolum. De Patre enim & Filio & Spiritu sancto per-

CVII.  
Ephesum, Nicæanum, & Constant. Symbola confirmantur.

CVIII.

PAGIUS sumque duabus ex naturis dicat. Hæc Leontii responſio: Ad hoc respondemus, non reſectam, fuisse, propterea quod ista verba contineret, ex duabus Naturis; hæc enim & nos admittimus, & ipsi Hestantes & Eutycheſ: sed quod esset imperfecta. Nullam enim refutationem dogmatum Eutycheſis habebat: Sed id solum complectebatur, quod communiter utriusque probatur. Tantum vero abest ut reſisterit illis verbis ex duabus Naturis, ut in secunda Definitione, ubique reſutans Eutycheſen, nusquam mentionem fecerit hujus loquendi formulæ, ex duabus Naturis, quasi eam admitteret.

XXXVI. Ex his Leontii verbis, insignis Græci textus restituito eruitur peragenda in secunda illa formula, quæ extat Act. V. In ea enim hæc verba leguntur: Unum eundemque Christum, Filium, Dominum; Unigenitum, ex duabus Naturis (in Græco *ἑκ δύο φύσεων ἀσπυκτῶς*) inconfuse, immutabiliter, indiviſe, inseparabiliter agnosendum. Atqui Leontius aperte testatur, nusquam adhibitam fuisse in illa fidei Definitione hanc locutionem, ex duabus Naturis. Quod firmatur ex Synodo sexta, in qua, tacito nomine Concilii Chalced. Act. XVIII. in Definitione fidei refertur pars illa formulæ ejus, his verbis, *ἑκ δύο φύσεων ἀσπυκτῶς* &c. Si extarent Acta Græca quintæ Synodi, ubi recitata est integra Definitio, eadem ibi verba legerentur. In ea enim quæ superest Latina interpretatione in collatione VI. habetur, in duabus Naturis inconfuse incommutabiliter, &c. Uti etiam legitur in Synodo Lateranensi sub Martino primo, in Secretario IV. Atque sic legendum in textu Græco, fidem faciunt ejusdem formulæ Chalcedonenſis Latine omnes, & antiq̄æ interpretationes. Quatuor diversas exhibet Crabbo; tres habent, in duabus Naturis in-

ſuſe, &c. Una, in duas Naturas inconfuse, &c. Theodorus Patriarcha Hierosolymitanus, ut videre est Actione IV. septimæ Synodi in Synodico suo recipit utramque locutionem, ex duabus & in duabus Naturis cognoscendum. Sed diserte non dicit, utramque esse Synodi Chalcedonenſis. His adde quæ de eadem locutione habet Baluzius in nova Collect. Concil. pag. 1255. & pag. 1393. & seqq.

Sed, ut ad Anatolium redeam, Leontius, qui observavit in quo illa fidei Definitio peccaret, Anatolius defenditur. Neutiquam fraudem suspicatus est. Quin e contra ipse Anatolius excusat interlocutionem, de qua postea. Nimirum Episcopi eam bono animo elaboraverant: sed simplices ut columbæ, cum tamen adversus hereticos fuisse oportuisset astutos ut serpentes. In eo maxime se prodit candidus animus, & doli expertus, quod cum quæſiſſent Judices cuiam adhereret, an Dioscoro dicenti *ἡ ἐκ δύο φύσεων ἀσπυκτῶς*, ἡ ἐκ δύο φύσεων non suspicio: an Leonis Magno protestanti, in Christo duas Naturas inconfuse, inconvertibiliter, & indiviſibiliter unitas? Responderint formulæ auctores, & qui pro ea contentebant Episcopi. Ut Leo sic credimus. Qui contradicunt Eutycheſianis sunt. Leo recte exposuit. Quæ certe responſio ostendit, illos eo animo fuisse, ut putarint Definitione damnari Dioscorigi & Eutycheſis dogmata. Locutione vero ista ex duabus Naturis, signari satis duas in Christo naturas ad mentem Leonis. Cæterum ut famæ ac fidei Anatolii labes aliqua jure iniuri posset, saltem oportuisset formulam ab eo concinnatam. Atque id agebant deputati cum ipso Episcopo, & quidem inter cæteros, illustriores & primarii; *ἡ παρὰ δὲ αὐτῶν*, inquit Leontius; revera sele-

XXXVII.  
Anatolius defenditur.

41